

damenta Locationis sunt ut in præcedenti casu. Ipse com-
postellamus Imo loco ponit Primum, Ido secundum, Illtio
Tertium. Sed rectè *Gloss. in d. c. 7. lit. e. ad v. primam secun-*
dus tuetur contrarium. Eadem enim quæ in priori ratio &
decisio est. Igitur ponetur secundus loco Imo, Tertius
Ido, Primus Illtio. Patet igitur in his casibus perplexita-
tem cessare.

X X V I I.

Jam ad rem divisibilem & communicabilem : Quare
sequitur *Conclusio 2*, & in hoc negotio REGULA III. prin-
cipalis, IN CONCURSU PERPLEXO AD REM DI-
VISIBILEM AUT COMMUNICABILEM LITIGAN-
TES OMNES ADMITTENTUR PRO RATA.
Uti enim, si de facto incertum est, quis prior altero hypothe-
cam v. g. aut arrestum nactus sit, concurrunt Creditores pro
ratâ, quod specialiter definitum in Electoratu Saxonix à Di-
vo Augusto p. 1. c. 28. §. nach jeho berührtem / v. und da zwo
Verpfändungen / *et ibi Dn Carpzov. p. m. def. 146. et Ordina-*
tio Processus Divi Johannis Georgi Imi t. 44. §. do auch ihrer
Zweien. Quid nî igitur cum de jure incertitudo est? &
quid dubitamus? in casu perplexo litigantes pares sunt *per*
l. 23. fin. supr. pares autem concurrunt pro rata : daturq; æ-
quilibrium justitiæ, cum libra paria utrinq; pondera sustinet.
Idem & *æquitati* (id est æqualitati Geometricæ) congruum.
Nam, ut ingeniosè definit *Vultejus in Jurispr. Rom. pr. æqui-*
tas duorum pluriumve proportio est, id est, ut participant
de jure pro rata meritorum causæ: Quò pertinet quòd in du-
bio tenendum, quod minimum habet iniquitatis *l. 200. de R. I.*
Medium nempe *l. 3. D. si pars. her. pet. l. final. 3. §. etsi quis 1.*
C. com. de Legat. add. Cujac. X. observ. 4. Quò pertinent
qui statuunt dividendam rem *Dynus et Albericus in l. Titia tex-*
tores 36. D. de Leg. 1. quorum hic dicit ita Bononiæ obser-
vatum.